

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.



1. Berlin: De capio fibrorur in medicina actib. 10 1752
2. Berlin: De haemorrhagia uteri 1767.
3. Bertaufer: Anthlaris carnis sponte restituta 1721
4. Bott: De luminebus qui cardam sororis extensis 1751
5. Borely-Kowalsky: De spiritu ardente ex lardo bubulo 1778.
6. Ottmann: De morbi virg. num 1720
7. Ottmann: Circa morbum variolorum 1767
8. Ottmann: De excretione atque excretione 1738 I
9. Ottmann: De excretione atque excretione II 1738
10. Paarmann: Ligni quassiae examen 1772
11. Parrot: De pterionola 1733
12. Paul: De anaylori 1777
13. Pelizaeus: De partu diff. ex positura uteri obliqua 1758
14. Terruet: De varie ossium cum epiorisi subguncta 1720.



Q. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
²
DE
HÆMORRHAGIA
UTERI
QUAM
CONSENTIENTE
GRATIOSA FACULTATE MEDICA
ARGENTORATENSI
PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI
SOLENNI MEDICORUM EXAMINI
SUBJICIT
PETRUS JOSEPHUS OBERLIN

HAGENOENSIS

AD DIEM XXXI. JANUARII A. O. R. MDCCCLXVII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOH. HENR. HEITZII, Universitatis Typographi.



DEO
PATRIÆ
PARENTIBUS
PATRONIS
ATQUE
AMICIS.



§. I.

Ubi sanguis ex aliqua corporis humani parte præter naturam *a)* profluit, *Hamorrhagia b)* adesse dicitur, quæ quidem vox, quanquam illa quandoque levia solummodo stillicidia *c)*, quale illud est quod a naribus fit & sæpiissime absque noxa est, indigitare solemus, proprietamen vi derivationis *d)* non nisi impetuosum & jugem fluxum, qui proinde etiam cum periculo fit, denotat.

- a)* Nam qui naturalis est fluxus, cuius unicum exemplum in cataractis habetur, nunquam hoc nomine insignitur, uti nec ille, qui ex Medentis consilio fit, ubi arte aut vena aut arteria secatur, debitoque tempore iterum clauditur.
- b)* Licet sæpius a loco aut modo quo profluit, aliud nomen sortiatur, uti hæmoptysis, hemorrhoides, &c.
- c)* Modicus talis sanguinis fluxus DIOSCORIDI *αἷμα πόσιον*, a πέπλῳ fluo, dicitur, HIPPOCRATI vero *ἱπποτες*, effluxus, l. *σαλαγρέας*, stillicidium; quamvis & sanguinem leniter e naribus manantem sæpiissime hæmorrhagiam simpliciter vocare soleat.
- d)* Deducitur enim a *πνεύμα*, quod HIPPOCRATI cum impetu & confertim prodire significat, interpretante GALENO *ἐν τοῖς γλαστοῖς*. cf. GORRIÆ *Defns. Medicae* p. 16. b. & p. 548. a. HENR. STEPHANUS tamen in *Thesaur. Grac. Ling.* Tom. I. p. 156. "ab activa voce commodius deduci existimat, & quidem eam in usitata"

A

statu

„tata passim significatione accipiendo, ut ἀιμορφών sit idem ac
πλευραὶ πάγειν, pro ἄμμα πάγαι;“ id est, sanguinem rumpere, nota
Græcorum loquendi ratione.

§. II.

Hæmorrhagia oriri nequit, nisi soluta continentis va-
sis continuitate. Triplici hoc fieri posse modo, vulgo
in scholis docemur. Ανασομώσι, qua orificia vasorum
præter modum ampliantur, ut quem coercere debebant
liquorem elabi finant, id quod vel a nimia debilitati ori-
ficii relaxatione, vel urgentis a tergo humoris copia &
impetu usū venire solet. Διατανθήσι, quando juncta glu-
tine & intertextæ canalis fibræ ita a se invicem fecedunt,
ut fluidum per ipsa canalis latera exsudet, id quod accidit,
ubi orificium quod transmittere sanguinem debebat,
quacunque de causa ita arctatur atque stringitur, ut actus
ad exteriora vi cordis & arteriarum sanguis, objectam sibi
moram vincere impos accumuletur, quo tandem debili-
tatem laterum vasis fibræ fecedere a se invicem coguntur.
Διαδροσις tandem oritur, quando vel admota vi externa,
vel ipsa interna sanguinis vi fibræ plane rumpuntur, ut
elementa fibram constituentia quodam in loco a se invi-
cem separantur, & qua data porta sanguis libere effluat.
Cujus species Διαδροσις, si acrimonia sanguinis fibræ ex-
tentuntur, dicitur.

§. III.

Hæmorrhagia licet ubique locorum ubi sanguinea vasa
præsto sunt, oriri possint, maximeque in illis partibus
quæ vasis abundant & tenuioris structuræ sunt, quales
sunt choroidei plexus, membrana pituitaria, pulmones, &c.
nullibi tamen frequentiores, ob causarum insignem va-
rietalē, visceris ipsius structuram & multis externis in-
juriis expositionem occurrit, quam in utero, quippe qui
laxus,

laxus, spongiosus, tota fere substantia vasculosus, magno sanguinis volumini recipiendo accommodatior est: quo & præter alias causas illud accedit, quod nullus in humano corpore locus sit, in quo partes contentæ minus premantur, quam pelvis feminæ, atque hinc omnis sanguinis quantitate excessus deorsum determinetur, notante BOERHAAVIO a).

a) *Prælect. Acad. ad proprie. Inst. T. V. P. II. pag. 5. & 53. ed. Götting. 1744. 8vo.*

§. IV.

Quamdiu autem femininum corpus adhuc increscit, adeoque ad nutritionem & augmentum omnium suarum partium sanguine indiget, ipse sanguis non accumulabitur, neque adeo in debiliori aliquo loco exitum querere necesse habebit. Utprimum vero versus perfectionis suæ terminum pervenit, quod circa decimum & quintum ætatis annum contingere solet, ruit ad minus resistentiam uterina vasa superfluuus a) sanguis, dilatationem in ipsis five ἔνοισι, quod semper ἀνασθόσων vasorum præcedit, causabitur, ipsoque tandem luminum renixu superato, profuit, vera ἀνασθόσει, non vero quod FREINDIO b) placet, διαρρέει.

a) Quæ enim contra menstruorum theoriam, quam a plethora deducunt scholæ, allata sunt ab aliis dubia, non sufficere ad illam convellendam videntur. Placeret sententia ASTRUCII, dummodo eam Anatome magis confirmaret. Ceterum ejus conjectura, quam habet, *Traité sur les Maladies des Femmes L. I. Chap. II. § VI.* menstruum purgationis sanguineæ periodum non a prima origine & ex natura instituto contingere, sed ortum suum molliori vitæ rationi debere, non inconcinna mihi videtur, præcipue si cum eis comparantur, qua de degeneratione & varietatibus hominum & animalium, in primis a statu domestico & longa a prima stirpe distantia oriundis egregie passim differit BUFFON. *Hist. Nat. Univers.*

b) *Emmenolog. pag. 76.*

A 2

§. V.

§. V.

Fluxus hic statis menstruis periodis rediens summe necessarius sequiori sexui est, & si rite procedat maximo-pere salutaris. Accidit vero quam s̄epissime, ut multis modis negotium istud turbetur, dum vel debito tempore evacuatio non prodit, vel nimis parca quantitate, vel & nimia, qui ultimus demum affectus proprie hæmorrhagia uteri vel *immodicus mensium fluxus*, aut *profluviū mensium* a) aut *Menorrhagia b)* dicitur. c)

- a) MAGIRE Patbol. L II. S. 4. c. 32. GORTER Comp. Med.
- b) SAUVAGES Noſol. Meth. Claff. IX. Gen. VI. Spec. 3. 6. 8. de quibus solis hic agimus.
- c) Compendii gratia quemcunque sanguinis ex utero nimium fluxum uno titulo effero, licet haud inutile sit, uti quidem Cel. ASTRUC fecit, *Malad. des Femmes* T. II. L. I. Ch. IX. §. 1. inter *menstruū immoderatos*, qui aliquam periodum servant, & inter *sanguinis profluviū copiosus* (*perte de sang.*) & *Stilicidium parcum* (*Suintement*) distingue, & a copia, duratione, frequentia, totidem diversos gradus morbi constituere. De hæmorrhagia uteri vesiculari cf. MAURIT, HOFFMANN in E. N. C. Cent. IV. Obs. CXI.

§. VI.

Neque tamen protinus omnis menstruatio, quæ nobis immodica videtur, morbos pronuncianda est: rursus aliæ profluviū modicum, quod aliis maxime naturale est, minus ferunt. Dandum est aliquid climati & cœli ingenio, nam non ubique æqualiter purgantur, sed quo magis regiones ad æquatorē accedunt, eo magis plerumque ob clementiorem aërem rarefacta incolarum corpora fluxum hunc patientur. Nam HIPPOCRATES a) græcarum seminarum menses duabus heminis sive viginti unciis æquat: Hispanarum quatuordecim aut sedecim unciis FITZGERALD b), Occitanarum unciis octo ad decem IDEM c) unciis octo ad sedecim ASTRUC cc), unciis duodecim SAUVAGES d), Batavarum unciis sedecim in corporibus molibus,

ibus, at in strictis ne quidem quinque GORTER^{e)},
Anglarum testæ ovi anserini capacitatem SYDENHAM^{f)},
unde miror FREINDIUM^{g)} ad usque libram & duas tertias
illorum pondus determinare. Viennenium puellarum
menstrua ab unciis tribus ad decem æstimat DE HAEN. h)
Groenlandis feminis plane nulos esse menses ferunt. i)
Sic & Lappones multæ nunquam menstruum fluxum ex-
periuntur, aliae æstate tantum. k) Post hæc vitæ quoque
genus & ipse corporis habitus multum in hoc negotio
discriminis faciunt, nam quæ aut laute aut otiosæ vivunt,
quæ laxæ structuræ sunt, aut igne admoto pedes foven-
do sanguinem versus inferiora trahunt, multo copiosio-
rem præ laboriosis, exercitatis, strictis, tenuiter viven-
tibus, fluxum experiuntur.

- a) *Ædi rurarchar. L. I. Sect. 15.*
- b) in *Dissert. de Catameniis. Monspel.*
- c) ibidem, & LIEUTAUD *Synops. univ. Prax. med. I. p. 448.*
- c) *Malad. des Femmes T. I. Edit. Aven. 1763. pag. 18.*
- d) *Noſolog. Meth. Claff. IX. G. VI. Sp. 3.*
- e) *Syst. prax. Med. T. II. morbi partic. p. 164.*
- f) *Proceſſ. integr. in cur. morbi. in Oper. p. 502.*
- g) *Eminenol. p. 81.*
- h) *Rat. Med. P. IV. Cap. VI. p. 204.*
- i) PECHLIN *Obs. Phys. Med. L. I. Obs. 34.*
- k) LINN. *Flor. Lapp. p. 324.*

S. VII.

Ergo qui Medici auxilium requirit catameniorum flu-
xus, actionibus quibusdam lassis cognoscitur, si enim be-
ne ferat etiam uberiorem fluxum muliebre corpus, mor-
bosus non censendus est. Præter horrorem, dolores
luniborum tenfivos, & sensum ponderis inducentes, lan-
guorem corporis & cephalalgiam, quæ moderato etiam flu-
xui sæpius adesse solent, observatur color corporis vitiatus,
cadaverosus, cachexia, appetitus prostratus, sitis, imbecilli-

A. 3.

tas,

tas, somnus turbatus, vasorum subsidentia cum pulsu celeri, ardores febiles interni, extremitatum refrigeratio, urina pallida, alvus obstructa, dyspnæa, syncope, convulsio, pedum œdema, quod tandem in ipsam inter cutem aquam terminatur, aut in fluorem album, hecticam, atrophiam abit, quorum symptomatum plurima non laxitatem modo & debilitatem uteri, sed spasmoidicas quoque stricturas nervearum & vasculosarum partium adesse ostendunt, unde simul patet ratio, cur sensibiliores feminæ & quæ tenerioris structuræ sunt, hypochondriacæ & hystericae, magis huic affectui quam aliæ obnoxiae sint. Ipse sanguis a) qui effluit non semper idem, mox enim sincerus exit atque floridus, mox autem, ubi nempe diutius moram nectere coactus fuit, quod sæpe ad aliquot mensium spatium extenditur, luridus, coagulatus atque grumosus, sub fine morbi latus & glutinosus, sæpe etiam valde dilutus, serofus, quando simul aliis excretiis, urinæ, sudoris imminutis, liquores qui per alias vias expelli debebant, huc determinantur.

a) Sanguis menstruus an ex utero an vagina veniat, hujus loci non est disquirere. Ipsum venosum esse si tantum concedere posse videtur, qui cum ASTRUCIO catamenia ex appendicibus cœcis venosis uteri derivant.

S. VIII.

Proxima hujus affectus causa, prouti ipsorum mensium regularium in ~~anæsophoreta~~ sed nimis aucta quærenda est. Quæ iterum vel nimia orificiorum laxitati, vel plethora commotæ, vel utrisque, vel nimia sanguinis dissolutioni & tenuitati, vel obstructioni hepatis, lienis, aut mesenterii, in quo easu necessario plus sanguinis ad uterum defiri oportet, suam debet originem. Remotiores autem & occasioales causæ sunt omnia illa, quæ aut nimia in sangu-

sanguinis copiam generare, aut cruentem attenuare, aut in motum cire, aut obstruere abdominalia viscera, aut vasorum uterinorum ostia debilitare valent. Hinc valde calens aëris, otiosa vita, motus vehemens in insueta, aut validus nifus, a) sternutatio, b) cachinnus & vomitus valentiores, cibus probe nutritius, potus calefaciens, veneras exercitium nimium, animi pathemata fortiora, emmenagogia & pessaria c) acris, stimulantia, aliae evacuationes suppressæ malum hoc plethoram vel causando vel commovendo producunt. Debilitas vero orificiorum, quibus arteriæ in uterum hiant, vel in ipsa laxa structura, vel in precedente laborioso aut frequenti partu, post quem uterus se non satis constringit, nec ad naturale robur iterum pervenit, vel in sanguinis vi, qui nimis diu urgendo elaterem vasorum infringit, causam suam inventire potest, quæ ratio est, cur saepius illæ puellæ, quæ diutius suppressionem catameniorum passæ sunt, tandem ubi sanguis claustra rupit, haemorrhagiam talèm nimiam experiantur, prefertim quando incaute menstrua apud puellas nubiles follicitando, balneis frequentibus uterina vasa debilitant, ut dein nimia copia & singulis fere septimanis redeant d) Idem & illis feminis usu venit, quæ circa septimum ætatis annorum septenarium constitutæ, quo parere ut plurimum cessant, inhibita per aliquot menses evacuatione ultima vice large satis menstruantur, nec posthac unquam fluxui huic obnoxiae sunt: id quod tam quandoque cum magno periculo fit, præcipue si in plethoricis subjectis & boni habitus neglectis venæsectoribus, circa sexagesimum annum subito & inexpectato reddit, ubi vix arte compescenda sanguinis fluenta fatalem tandem hecticam & convulsionem amissio fere omni vitali liquore inducunt. e)

a) Tale exemplum habet FORESTUS L. 23. Obs. 16.
b) HILDANUS Cent. 3. Obs. 58.

c) VARANUS

c) VARANDRUS de Morbis Mulierum.

d) VAN SWieten Comm. Tom. IV. p. 429.

e) BROOKES General practice of Physic Vol. II. p. 107. ed. 4ta.

§. IX.

Fiunt vero & alia sanguinis ab utero profluvia, quæ non sponte sua, sed ab externis causis producuntur, vasorumque diæresin pro sua proxima causa agnoscant. Nam postquam utero fœtum excuslit mater, sequi debet annexa infanti umbilicalis funiculi ope placenta, quæ cum utero firmiter vasis suis hæreat, solvi inde nisi ruptis vasis nequaquam potest, hinc sanguinis post partum fluxus, quem Lochia vocant. Hæc nimia sæpius & magna cum virium jactura atque periculo contingunt. Eaque res eo magis periculosæ plena est aleæ, si heterogenea post partum in utero remanserunt, quæ aut uterum irritando, aut æqualiter contrahi impediendo fluxum fisti non permittunt. Itaque si aut tota placenta ab uteri superficie soluta quidem, sed in ejus cavo remanens, aut portio faltem illius intus hæserit, aut congrumatus sanguis, aut caput aliave pars infantis, quem per partes eximi necesse fuit, aut integer alter infans, soluta jam prioris ex obstetricantis errore placenta, aut mola præfens fuerit, hæmorrhagiam talem oriri oportet. Simile periculum minatur, si prævia in partu placenta est, si avulsa ante partum ob funiculum aut nimis brevem aut circum infantis collum flexum, si majus aliquod vas ruptum fuerit, si vulneratus funiculus, a) si manus obstetricantis ruditer uterum tractaverit & vellicaverit, si ipse uterus ruptus sit, si femina abortum vel mala fortuna passa sit, vel nefandis artibus *militia digna perire sua* b) provocaverit, quem plerumque hæmorrhagia præcedit eo periculosior, est, quo propior femina naturali partus temporis est. c) Accidit etiam quandoque, ut si feminæ lochia non suffici-

sufficienter fluxerint, post aliquot menses magna oriatur hæmorrhagia, animi deliquiis stipata, non cessans donec congrumatus sanguis molam simulans excretus sit. d)

a) Licet enim constet, funiculi versus placentam deligationem non necessariam esse, hæmorrhagia tamen ab isto ante perfectum partum vulnerato oriri potest. vid. LA MOTTE *Traité des Accouchemens* L. III. Ch. 8. Obs. 211.

b) OVID. *Amor.* L. II. El. 14.

c) MAURICEAU *Maladies des Femmes grosses* L. I. C. 21.

d) BROOKES l. c. p. 107.

§. X.

Uterinæ hæmorrhagiæ, quum adeo causis inter se differant, variis origini mali respondentibus modis tractandæ sunt. Præcipuum tamen & præsentaneum auxilium, prouti aliis sanguinis fluxibus in fecta vena est. Quæ quidem, si omnem inde quæ sperari potest opem obtainere velimus, cum grano faliis administranda est. Namque in ipso paroxysmo adhiberi non debet, nisi adeo vehemens sit, ut de summa profusione atque de lipothymis timendum sit. Tum vero in brachio aut salvatella in dorso manus, ceu loco ab utero remotissimo, non vero quod WALLÆO a) placet, in pede revellendi scopo pertundatur vena, sanguisque non jugiter sed repetitis vicibus emittatur, & ut bene monet ALLEN, b) digito per vices vulnusculo imposito. Ita enim successive sanguis ab utero derivatur, illiusque vasis tempus conceditur, quo se contrahere & claudere sensim orificia sua possint. Certe hac ratione magis proficuas esse experientia edocitus LIEUTAUD c) affirmat, & idem ALLENUS d) multas se vidisse asseverat, quæ hoc modo detracto multo sanguine convalluerunt, cum nullis aliis remediis reprimi posset fluxus. Atque cum eo consentiunt fere omnes practici. Nam quod ETTMÜLLERUS e) venæ sectionem culpat, quia fluxum ve-

B

hemem-

hementiorem reddit, id eo in casu viro largimur, si paroxysmo non adeo vehementi, in eo ipso administretur. Si enim necessitas non urgeat, extra paroxysmum moderandi & diminuenda plethoræ ergo in usum vocata semper magis profuisse observata est. Si autem jam adeo debilitata sit ægra, ut sine præsentaneo vitæ discriminè nil sanguinis amplius amittere possit, tunc præstat manuum in aqua tepida detentione, (non enim perspicio, cur LIEUTAUD f) frigidam suadeat, quæ sanguinem versus interiora repellit,) aut cucurbitulis siccis ad remotiora loca, ex HIPPOCRATIS g) confilio ad mamaras, vel monente GALENO h) infra illas, aut juxta alios ad hypochondria admotis sanguinem avocare, licet illas prouti & extremonrum ligaturas evitare, nescio cur jubeat BROOKES. i) Ni-
mium mensium profluvium a venereo contagio ortum inunctionibus mercurialibus feliciter sustulit FITZGERALD. k))

- a) Meth. Med. L. XV. C. 3.
- b) Synops. Med. Pr. C. XIV. Art. 21.
- c) Synops. univ. Prax. Med. P. I. p. 454.
- d) loc. cit.
- e) Opp. T. I. p. 553. a.
- f) loc. cit. p. 454.
- g) Seet. V. Aph. 50. & Epidem. II. 6.
- h) Comment. in hunc Aph.
- i) Gen. Præct. of Physic. Vol. II. p. 226.
- k) Maladies des femmes. Paris 1758. p. 69. 70.

§. XI.

Solent & alias excretiones augendo nisum sanguinis ab uterinis vasis avertere. Quod alii laxantibus faciunt, & præcipue quidem laudante ETTMÜLLERO a) rhabarbaro, quia adstringente simul virtute pollet. Videntur tamen hæc prouti etiam clysmata, extra paroxysmum potius locum habere, quum in eodem fluxum sanguinis magis adhuc ad affectam partem determinent. Si tamen spafini

spasmi adfuerint, in illis demulcendis clysmata egregie se gerunt. Lene laxans adstringentibus fere semper a practicis præmitti FREINDIUS monet. b) AILHAUDI vero draſticum pulverem, panaceam istam si Diis placet, cuius ipſe hoc in morbo ad octodecim usque doſes exhiberi vult, nemo niſi audax empiricus propinaverit. Vomitofia eo solo in caſu, quo SAUVAGES c) profuſſe vidit, accedentibus nempe nauſea & cardialgia, viribus adhuc integris, conſerferim, alias enim commovendo corpus ſanguinem magis in motum crient. In refractiſſima tamen doſi ad granum nempe quavis vice Ipecacuanham laudant BROOKES d) & LIEUTAUD, e) eoque modo etiam adhibitat fuſſe puto in illo caſu quem FITZGERALD f) narrat. Alii malunt ad perspirantia cutis vasa humores allici, atque diaphoreticis fixis, pulveribus & potionibus temperantibus, & ſimilibus utuntur. Quæ quidem lenia diluentia præcipue tunc conducunt, ſi orgaſmus ſanguinis moderandus eſt, in quo caſu nitrum, camphora, lene citri acidum, emulſiones in quibus amygdalarum loco avellanas ob majorem vim stypticam recipere folent, julapia, hordeata, levia jufcula & gelatinæ egregii effectus ſunt: nec hæſitarem MEADIU M g) & WERLHOFIUM h) ſequi, & compescendis hiſ motibus corticem opponere. Fortiora vero sudorifera, roob ſambuci, juniperi, aromatica, quæ quibusdam præcipue mulierculis placent, cum ſanguinem in majorem adhuc motum cieant, nunquam adhibeantur, de quibus foliſ FREINDIUM i) loqui puto, quando contra ETTMÜLLERUM diaphoreticorum uſum improbat, quum ſanguinis quam metuit rarefactio & expansio ab hiſ modo fortioribus metuenda ſit. Ubi vero nimia ſanguinis tenuitas in cauſa eſt, incrassantibus utendum eſt & mucilaginofis, Gummi Arabico, Tragacantha, Ichthyocolla.

a) loc. cit.

b) loc. cit.

B 2

c) Nufol.

- e) Nosol. meth. T. III. P. II. p. 56.
- d) Op. cit. p. 226.
- e) l. c. p. 454.
- f) Maladies des Femmes. p. 219. Obs. 1.
- g) de Imperio Solis & Lun. C. III. p. m. 71. ed. Götting. 1748.
Tom I. & Monit. & Praecept. Med. C. XIX. Sect. II.
- h) de Febribus p. 53.
- i) Euumenol. p. 132.

§. XII.

Hoc modo si causis probe obviam itum est, adstringentia demum leniora, aut pro re nata fortiora in usum vocari possunt. Corallia præparata, aut eorum tinctura aut syrpus, Granatorum syrrpus, syrpus Myrtiaus, Diacydonium & alia ex cotoneis malis præparata, Chernes grana, Rosarum rubrarum siccarum conserva, Cassarillæ Extractum, Simarouba, Malicorium, Terra Catechu, Draconis sanguis, Armena bolus, species & confectio de Hyacintho. Succi expressi a plurimis laudantur nec male, ex Plantagine, Bursa Pastoris, Portulaca, Urtica, quorum usus nimis inter nos negligitur; aliis Agrimonie, Bistorta, Tormentilla, quæ tamen ab initio statim data nimis adstringere mihi videtur, Mentha, quæ aquis ipsorum destillatis potentiora erunt, aquæ Cinnamomi cydoniata, infusiones & decocta ex Caryophyllatæ radice, Millefolio, Veronica, Pilosella, Symphyto, Pimpinella & quæcunque demum adstringere in Materia Medica docemur, quorum longum indicem ASTRUC a) recenset, placent. Decoccto corticum aurantiorum saturato ad duas circiter tertias redacto Anglos Medicos fere omnes uti reperio, optimumque inde effectum aliquoties ipse vidi. Raræ istius & pretiosæ b) Melitensis parasiticæ plantæ, Cynomorii coccinei, quod ad fungos olim perperam retulerunt, pulvere, feliciter flu-

xum,

xum femininum cohibuit BAECKIUS c). Martialis præparata, quæ alias menses promovent, hæmorrhagiam si ab obstruzione abdominalium viscerum aut uteri vasorum deperdito tono dependet, egregie sistent, in quo casu etiam alia aperientia & visceralia remedia perbellè se habent. Circa Mercurialia, quæ PITCARNO d) comiendantur, "quia alias rum excretionum impedimenta æqualiter tollendo, sicque eas augendo, hanic minuant," experimentata nobis desunt, quinin pluribus casibus nihil virtutis habitura esse persuasum habemus, præcipue quum attenuando humorum malfam, sanguinem ad effluxum magis disponant, & suppressi menses illis revocentur e). Lenia anodyna, quæ profluvia moderari observata sunt, e papavere, f) cynoglosso, liquore anodyno Hoffmanni aut aqua Rabelii propincentur, sed cauta manu, nec Anglos in liberaliori opii exhibitione temere quis in nostris regionibus imitetur Medicus, nec cautelarum immemor sit, quas desideratissimus frater circa propinandum opium proposuit g). An inter nos quoque observatum est, quod BROOKES h) refert, inferioribus visceribus affectis, opium minus in caput agere & hinc instantे partu orta hæmorrhagia, largiter exhibito opio compesci potest? Usneam humani cranii, tanquam nauseolam & invalidam atque ex Helinontianis nūgis petitam, Saccharum Saturni & ex illo compositam tinteturam antiphtisicam aliaque hujus farinæ plena discriminis remedia, utut quibusdam i) laudata, cautus Medicus rejiciat. Neque etiam fortia ista styptica, alumen, hæmatites lapis, HELVETII k) remedium ex alumine & sanguine draconis, licet magno SYDENHAMO Anglisque Medicis quotquot novi usitata, arrident, cum non satis cauti in validiorum adstringentium exhibitione esse possimus, nec nisi summa urgente necessitate ea dare debeamus. Nam præmature aut præpostere adhibita, prouti & opiate insignem malorum Lernam post se ducere solent, mensium suppressione

pressionem, scirrum & cancrum uteri, hystericos affectus, fluorem album pertinacissimum, cachexiam, hydropem^{l)} & icterum, aliaque quibus omnium observatorum paginæ refertæ scatent. Bene ergo GORTER *m)* ex quacunque causa nimis fluunt menes statim secundum inventam causam non omnem sistendum fluxum, sed sensim temperandum, neque effluentem sanguinem cohibendum clausis pudendis esse monet. Nollem tamen etiam cum LIEUTAUDO *n)* omnem rem, nisi graviora urgeant symptomata naturæ foli committere, & congrua vietus ratione tantum fluxui obviam ire, donec febris lenta emerget, aut immineat marasmus, vel se prodant cachexiæ hydropisive indicia. Satius enim est & facilius incipienti malo mederi, quam exhaustis viribus ægræ, quum malum per longam moram invaluit, cum novis quoque morbis primarii mali sequelis luctari. Prudens ergo Medicus, si nullum in mora periculum est, a lenioribus ad potentiora sensim ascendit, ne & nihil agendo naturam deferat, & sine necessitate ancipitem & periculosam medicinam faciat. Sin autem a sola plethora nimium fluxum oriri constiterit, utique laudanda est methodus, quam in talibus adhibet FITZGERALD, *o)* qui præter venæctionem nihil nisi tenuem viatum & exactissimam diætam præscribit.

- a) Malad. des Femmes T. II. p. 60. & 85.*
- b) MORGAGN. de Sedib. & Caus. Morb. L. I. Ep. XIV. Art. 25.
p. 117. b.*
- c) LINNAEI Am. Acad. Tom. IV. Diff. LXV.*
- d) de Fluxu menstruo. § 28.*
- e) FREIND Ennemalog. p. 148.*
- f) Opium optimum præ aliis omnibus in uteri hæmorrhagiis extollit
inter alios WHYTT Observations on the Nervous hypochondriac
or hysterick disorders. Edinb. 1765.*
- g) OBERLIN in Differt. de Opio liberius in Medicina adhibendo.
Arg. 1752.*
- h) l. c. p. 226.*
- i) inter alios ETTMÜLLERO & FREINDIO. locc. citi.*
- k) Traité*

- k) *Traité des pertes de Sang.* Paris, 1697.
l) Id quod de querinis glandibus in specie habet VOGEL M. M.
p. 266.
m) *Comp. Med. II.* p. 167.
n) *Op. cit.* p. 452.
o) *Traité des Maladies de Femmes* p. 68.

§. XIII.

Externorum etiam remediorum nequaquam contemnendus usus est. Ligaturæ brachiis femoribusque injectæ, ÆGINETÆ a) jam laudatæ, modo non nimis arcte adstringantur, multum in effusioribus præcipue fluxibus valent. Quædam spongiam acetō vinoque rubro aut aliis roborantibus imbutam, vel ranarum sperma cum acetō & alumine plumaceolis exceptum, vel sperniolam Crollii pudoris sinui subjiciunt, aut lintea acetō madefacta b) lumbis imponunt, aut adstringentia emplastra, aut totum corpus linteo acetō fortè imbuto obvolvunt. c) Ipsò Vitrioli colcothare imbutum tortile linteum vaginæ, quoisque potuit, cum successu primus intrusit, in desperato casu FRID. HOFFMANNUS. d) Fomenta ex balaustrorum & rosarum punicearum floribus, lauri foliis & menthæ herba, suffimigia ex odoratis, balsamicis, clysteres uterini, pessi ex calidioribus animalium stercoribus, asinino, canino, suillo, passim laudantur. Sed apage eorum succos expressos ori ingestos. Nec Jaspidi rubræ e) collo appensæ aut aliis amuletis male credulus fidem adhibe. Circa balnea in diversa abeunt auctores, aliis eadem laudantibus, aliis culpantibus. Mihi fese mutuo non intellexisse videntur. In ipso fluxu nemo sanus Medicus illa in usum vocaverit, at extra eundem balneum moderate adstringens uteri roborandi causa adhuc quid nocere possit non video. Hysterica symptomata.

mata quæ sœpe concurrere solent, castoreo, lasere, succini sale, aliisque leniuntur. Hinc & fumigationem e ranis siccatis aut equinis unguulis, quam PASCHALIUS f) proponit, his potius quam ipsi primario morbo conducere crediderim.

- a) L. III. C. 62.
- b) TISSOT *Avis au Peuple.* II. p. 451. edit. Lyon, 1764.
- c) FITZGERALD p. 319. Obsf. 2.
- d) *Med. Ration. Syst.* T. IV. P. II. Sect. I. C. V. Obsf. II. p. 120.
- e) BOET. à BOET. L. II. C. 102.
- f) *Meth. cur.* L. I. C. 55.

§. XIV.

Omnia hæc remedia utut in spontaneis uteri hæmorrhagiis & lochiorum nimio fluxu efficacia, nihil præstabant, si in graviditate, abortu, placenta in partu prævia, relicto heterogeneo post partum in utero, fluxus contigerit copiosus. Tunc missis omnibus istis præter partium ligaturas, omnis periclitantis vitæ salus atque spes in periti Embryulci manu posita est, qui lente ac prudenter festinando, juxta obstetriciæ artis præcepta, quæ alibi traduntur, hærentia in utero ipsiusque hæmorrhagiam causantia, corpora quantocytus educat, licet ne sic quidem semper servari mulieris vita possit. Ne vero ægrota inter operandum viribus deficiat, blandis cardiacis atque analepticis, nequaquam vero calidioribus, refocillanda est, atque tum demum, ubi ejecta ex utero sunt, quæ præter naturam ibi hærebant, supradicta remedia in usum trahenda sunt.

§. XV.

Regimen vitæ exactissimi talibus sanguinis profluviis laborantibus observandum est. Nimis calidus aër denuo

denuo sanguinem in motum ciendo & rarefaciendo, currationi multum obest, frigus autem corporis superficiem strigens sanguinem ab exterioribus arcit, & versus uterum determinat. In cibo dando ceu graviter vulneratae tractandæ sunt ægræ, & hinc pro re nata tenuissimus & parcissimus porrigendus est, ne nova plethora generetur, neque etiam ob dejectum plane ventriculi robur, quod semper hunc morbum comitatur, multum appetunt. Ratio tamen habenda est virium in iis, quæ enormibus profluiis plane exhaustæ sunt, ut pedentim iterum omnium partium & præcipue ventriculi labefactatus valde tonus lenibus visceralibus roborantibus firmetur. Potus exhibendus temperans atque copiosus, sed semper medicatus, leniter roborans, qualem omnes aquæ minerales leviter martiales nobis præbent, quibus aliquid vini rubri austeri addi potest. Earum vero quæ spirituosis potibus indulgent cura nulla est. Reliquarum excretionum provida cura habeatur, ut rite procedant, ne turbatae in utero sibi exitum querant. Quies corporis imperetur sedulo, quæ fere sola hæmorrhagiæ minoris impetum saepius compescuisse observata est. Et si cum FREINDIO a) erectum humani corporis situm inter causas ponimus, cur femininus sexus menstruam purgationem patiatur, situm quoque horizontalem ad moderandum istum fluxum servandum esse facile patet. Sed & mente tranquilla sit, caveatque sibi præcipue ab ira atque terrore, quibus non alia magis incurabiles hæmorrhagias producunt. Unica enim ROLFINCII b) observatio, qua feminæ, cui per duos menses sanguis fluxerat, terrorem profuisse affirmat, generali regulæ nil obest: nam licet terror utplurimum per breve tempus fluxum sistat, multo atrocius tamen eundem paulo post recrudescere facit. Eadem vitæ ratio, quam facillime morbus hic recidivas experiatur, postea continuetur præservandi scopo, interpositis passim lenibus la-

C

xanti-

xantibus, c) & ut plethora præcaveatur, venæsectionibus debito temporei nititutis.

a) *Emmenol.* p. 77.

b) *Med. Comment.* L. IX. S. VI.

c) Nam hæmorrhagia quælibet immodica, nisi quamprimum sedata fuerit, leniens purgatio administretur, ne recidivam patiatur metuendum est. *SYDENHAM Febr. cont.* A. 1661, p. 42.

§. XVI.

HIPPOCRATIS a) effatum est: "quando menses copiosiores prodeunt, morbi contingunt." Quod verum esse non in mensibus modo, sed omnibus uteri nimis hæmorrhagiis dolendum est. Quibus enim nimium cataenia fluere solent, iis vasa uterina valde debilia esse significatur, hinc facillime vel abortiunt, vel plane steriles b) fiunt, & quibus ætate proiectis nimia menstruatio supervenit, eas hæmorrhagia hæc plerumque incurabilis ad mortem usque comitatur, aut ulcus cancrumve uteri infert c). Illæ vero quæ in partu graves hæmorrhagias patiuntur, lipothymis & convulsionibus, quæ fere semper funesti exitus in hoc affectu indicia sunt, periclitantur, & si etiam evadunt, per reliquum vitæ temporis valetudinariæ manent, & vel hydropicæ vel hepticæ moriuntur.

a) *Sect. V. Aph.* 57.

b) An ergo, quod *LIEUTAUD l. c.* p. 453. asseverat, mulieres post insolitam uteri hæmorrhagiam foecundiores fieri, adeo generaliter pronunciandum erat?

c) *LIEUTAUD l. c.* p. 452.



Straßburg, Med. Diss., 18

ULB Halle
008 564 809

3



KDIP



Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

D E

HÆMORRHAGIA
UTERI

O H A M

GRATIOSA

A R

P R O

S U M M O S

PRIVI

SOLENNI

PETRUS

AD DIEM XX

Typis J O H. H

